

1628 i<sup>o</sup> 8<sup>va</sup> Februarij

33

A Legatis Hollandicis ad Dominos  
Commissarios.

8<sup>va</sup> Febr  
1628.

Dum nos summo cum desiderio responsum à Domino Can-  
cellario Regni Suecia, ad ultimas nostras expectamus. Ve-  
nit Elbinga huc clarissimus Christianus Vinten Principis Ele-  
ctoris Brandenburgici Secretarius, nobisq; iam exposuit se una  
cum Domino à Kriesenbeck ab eodem Principe Electore missum  
fuisse ad Suecia Cancellarium pro obtinenda ulteriori prorroga-  
tione suspensionis armorum, ipsdem prout ante conditionibus,  
usq; ad decimum quartum diem Februarii inclusive. Eamque  
si obtineret, ut nobis referet, quo porro ad Illustras Vestras  
perscribere possimus in mandatis se habuisse. Retulit autem  
dictus Secretarius concepsisse Dominum Cancellarium Sue-  
cia in talem usq; ad diem 14. Februarii armorum suspensionem  
hinc conditionibus.

I. Ut statim illa ulterior suspensio ex Illustrum Ve-  
strarum parte publicetur, ubicunq; opus sit, prout se facturum  
eo ipso die quo actum fuit /: qui erat dies Solis proxime præte-  
ritus /: Dominus Cancellarius recepit, eamq; Suspensionem ser-  
vaturum, verbis serio valde et asseveranter promisit, seq; obli-  
gavit, si has inducias inire Illustribus Vestris non placuerit,  
aut si inita non observabuntur, et excursions nihilominus  
fiant, se vim vi repulsurum, idq; expresse et diserte Illustri-  
bus Vestris significandum esse.

II. Ut interim

II. Ut interim a securatio in ea quae ante fuit concepta forma, ipsi Domino Cancellario mittatur, alias se inde non moturum, neque ad locum tractatibus destinatum venturum.

III. Hisce admissis posse in ipso congressu de ulterioribus induciis, earundemque conditionibus imprimis de pabulatione tractari.

Quod ad secundum articulum attinet, tum cum haec agerentur, postrema nostra litera, cum nova diplomatis forma, ab Illmo Domino Episcopo Culmeny concepta nondum Cancellario reddita erant, ad quas ut initio diximus, iam responsum in singulas horas expectamus, speramusque commodius aliquando et promovendo Tractatu idoneum accepturos. Petimus autem etiam atque etiam ut Illustres Vestre nobis ad reliqua hanc armorum suspensionem, quae attinet, quid ipsis placeat, et per nos ad Dominum Cancellarium perscribi debeat, quam primum significare velint, ut miseris et calamitatibus minime necessariis via pracludatur. De cetero Illustribus Vestris cum prompta officiorum nostrorum oblatione, praesertim valetudine frui posse optamus. Datt. Martie verderd  
Die Ova Februarij MDCXXVIII.